

**II. ^aLITTERAE UNIVERSALES PUBLICARUM CONTRIBUTIONUM
IN CONVENTU PIOTRKOWIENSI GENERALI PRO DOMINICA REMINISCERE
INDICTO [5 III 1542], ANNO DOMINI
MILLESIMO QUINGENTESIMO QUADRAGESIMO SECUNDO DECRETARUM^{-a}**

^bSigismundus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae ac Masouiae etc. dominus et heres^b. Universis et singulis ecclesiasticis et saecularibus regni nostri senatoribus et consiliariis ceterisque subditis nostris quibuscumque tam terrestribus quam civitatum et oppidorum honoribus insignitis, ad quorum notitiam hae nostrae pervenerint litterae et praesertim in palatinatu Posnaniensi^c et districtibus eius consistentibus, sincere nobis et fidelibus dilectis, gratiam nostram regiam.

Reverendissimi, reverendi in Christo patres, magnifici, generosi, nobiles, famati, providi, sincere nobis et fideles dilecti. Et si cum gravi morbo tum arduis Magni Ducatus huius Lithuaniae negotiis, ex quo rebus inchoatis discedere tutum non erat, venire ipsi ad comitia non potuimus, pro ea tamen cura quam gerimus erga regnum^d nostrum tuendum et conservandum^e comitia nihilominus Piotrcouiae ediximus, ad quae cum ex mandato nostro senatores, consiliarii^fque regni nostri atque una terrarum nuntii convenissent. Pro fide atque officio suo providere cupientes, ne quid regnum nostrum detrimenti caperet propter eas calamitates in quas vicinos incurrisse videmus ex quibus etiam regno nostro magna impendunt^f pericula et discrimina ^gcontribuendae pecuniae^g qua conscribi miles possit, communicato inter se consilio nostra etiam auctoritati accedente has rationes decreverunt infrascriptas.

[1]. Inprimis ex singulis mansis seu laneis agrorum quos singuli kmethones seu incolae villarum tam nostrarum quam omnium spiritualium et saecularium subditorum nostrorum colunt et possident duodecim grossos communis et usualis monetae secundum antiquas quietantias ad duas temporum ratas infrascriptas hoc est sex grossos pro dominica Pentecosten [28 V 1542] et alios sex grossos pro festo sancti Bartholomei Apostoli [24 VIII 1542] sub poena dupli contribuent per capitaneos locorum a quolibet ipsam contributionem pro ratas supra expressis solvere negligente irremissibiliter exigenda et reipublicae usui applicanda. Ea tamen contributio seu solutio a nobis ac primis consiliariis nostris et ordinibus regni nostri spiritualibus et saecularibus fieri et incipi debet. Incipientes videlicet solutionem primae ratae a dominica seu festo Pentecosten et finiendo usque ad dominicam post octavas Corporis Christi [18 VI 1542] et deinde secundae ratae incipiendo solutionem a festo sancti Bartholomei et illam ad festum Nativitatis Sanctae Mariae Virginis [8 IX 1542] inclusive terminando et finiendo.

[2]. Item sculteti et advocati villarum, liberi non habentes, census duntaxat laneos colentes, solvent de suis laneis per duodecim grossos. Advocati vero kmethones seu colonos habentes ita, ut aliorum dominorum coloni, ad ratas suprascriptas, videlicet de quolibet laneo per duodecim grossos, pro prima videlicet sex grossos, pro secunda vero alios sex grossos sub poena dupli contribuent. Quia vero nonnulli advocati ac sculteti et nobiles pauperes, ut colludant cum exactoribus nostris et reipublicae onera evitent, collocare solent kmethones in parte agrorum advocatae suae aut bonorum suorum etiam minori uno laneo, ut ab eis solummodo contributio exigatur et ipsi soli ab eiusmodi exactione sint liberi, tales poenis nostris subiacebunt, quos exactores diligenter annotabunt.

[3]. Item nobiles pauperes colonos et census non habentes, de laneo culto pro utraque rata octo grossos, pro prima videlicet quattuor grossos, et pro ultima alias quattuor grossos sub poena dupli contribuent. Qui autem ita rebelles et obstinati fuerint, ut nullas contributiones superiori tempore de bonis suis solverint neque antiquis quietationibus se tueri voluerint, tales secundum possessiones dare^h et solvere eandem contributionem modam omnino teneantur, praesertim cum neminem propter necessitatem reipublicae exemptum ab eis esse volumus, non obstante

^{a-a} W MK: *tytuł brzmie*: Litterae universales contributionum anni Domini MDXLII. ^{b-b} Sigismundus Dei gratia rex Poloniae etc. MK2. ^c *Wpisane w okienku w Dr.*; w MK2: *pozostawiono okienko*. ^d *Wpisano ręcznie w interlinii w DR.*; w MK2: *brak*. ^e conservandum regnum MK2. ^f impenderent MK2. ^{g-g} contribuendi pecunis MK2. ^h W MK2: *omyłkowo*: dale.

quavis consuetudine seu potius abusu contrario. Ubi vero duo tres vel quattuor nobiles pauperes unum laneum colunt, solvent omnes de huiusmodi laneo per octo grossos alias quisque illorum solvet secundum quantitatem agri et portionis lanei videlicet medietatem pro prima, aliam vero medietatem pro ultima ratis supraexpressis.

[4]. Item civitates et oppida, tam nostra regia quam subditorum nostrorum spiritualium et saecularium in toto regno nostro, exactionem civilem quam *schosch*ⁱ vocant, unam duntaxat integram, iuxta antiquas quietantias solvent et contribuent, cuius quidem exactionis medietas solvi debet pro prima rata, videlicet pro festo seu dominica Pentecosten proxima, continuando eandem ratam usque ad dominicam post octavas Corporis Christi proximam. Alia vero medietas eiusdem contributionis civilis^j pro alia rata, incipiendo eandem ratam a festo sancti Bartholomei Apostoli et eandem terminando usque ad festum Nativitatis Beatae Mariae Virginis Dominae nostrae similiter sub poena dupli solvi debet.

[5]. Item villae vastatae exustae et libertatem habentes, quae non solvunt censum dominis suis sive earum incolae, liberi sint et esse debent a solutione contributionum in praesenti conventu constitutarum durante libertate eis concessa. Praeter tamen villas et oppida, quae ab exactionibus praesentis immunitatem sibi arrogant inique et praeter necessitatem; eas enim villas et oppida ad communia communiter ferenda onera volumus ab exactionibus et praefectis locorum more consueto cogi et si quorum praeteritorum annorum contributionem publicam non solverint ad eam solvendam quaecumque retenta est, inique et praeter legitimam immunitatem, ut pignorationibus adigantur decernimus et mandamus.

[6]. Item contributio cerevisiae, vini, medonis, malmatici, muscatellae *czopowe* dicta, in omnibus civitatibus et oppidis ac tabernis villarum, tam nostris quam subditorum nostrorum spiritualium et saecularium, incipiendo a festo Pentecosten proximo ad integrum annum a singulis cerevisiae coctoribus et reliquorum liquorum propinatoribus more solito, hoc est iuxta continentiam litterarum universalium super contributionem ducillorum editorum solvi debet ex quibuscumque braseis fuerit cocta cerevisia, sive brasea ipsa sint civium sive dominorum, sive ex molendinis provenientia et emensurata, sive etiam domi facta.

[7]. Item etiam a cerevisia, quam domini et nobiles ex braseis suis coquant seu braxant, et illam dant ad propinandum suis tabernatoribus ac etiam de cerevisia externa, ut Swidnicensia, Thessniensia^k, Bernouiensia et alia quacumque contributio ipsa *czopowe* solvatur, iuxta tenorem universalium litterarum praedictarum.

[8]. Item tabernatores hereditarii, qui advectitiam propinant cerevisiam per sex grossos a propinatione ad ratas temporum praedictas, videlicet pro prima rata tres et reliquos tres pro secunda rata, sub poena dupli solvent, si agros non habent. Illi vero qui agros habent, solvent seorsum ex agris suis contributionem per duodecim grossos ad ratas praedictas prout et reliqui coloni iuxta exigentiam et quantitatem agrorum, quos possident. A cocturae autem cerevisiae domestica iuxta exigentiam^l contributionis *czopowe* exsolvent. Manuales vero tabernatores sex grossos hoc anno ad ratas temporum suprascriptas, tres videlicet pro prima et reliquos tres pro secunda, sub poena dupli solvent.

[9]. Molendina vero ventilia hereditaria duodecim grossos. Illa vero molendina ventilia, quae anniversarios molendinatores habent, sex grossos pro utraque rata, medietatem videlicet pro prima et aliam medietatem pro secunda ratis, sub poena dupli solvent. Et similiter illa molendina, quorum tertias mensuras tenutarii bonorum nostrorum regalia exemerunt, et illas a se emptas, in summis pecuniarum obligatas tenent ad usum et utilitatem suam, solvent contributionem, quae *schos* dicitur, unam integram, sicut reliqua omnia molendina in regno nostro seu illorum molendinatores eam solvere consueverunt, contraria consuetudine, quae corruptela potius dici debet, penitus non obstante. Quorum autem molendinorum nostrorum de mandato nostro et pecuniis nostris tertiam mensuram redemerunt ad nostram utilitatem, illa nihil solvere debent.

[10]. Molendina vero aquatica villarum, tam nostrarum quam subditorum nostrorum spiritualium et saecularium, quae *pozrzebne* vocantur, manuales seu anniversarios molendinatores

ⁱ schos MK2. ^j W Dr. wpisane w miejsce skreślonego: civitatis. ^k Theschinensi Dr. ^l W MK2 następuje potem skreślone: et quantitatem agrorum.

habentia, ex singulis rotis sex grossos; hereditarii vero molendinatores dictarum villarum et *folusche* ex singulis rotis molendinorum suorum, quae *walne* dicuntur unum fertonem ad ratas temporum supradictas^m; medietatem videlicetⁿ vero pro prima et aliam medietatem pro secunda ratis, sub poena dupli persolvent.

[11]. Item molendina brasealia et hereditaria aquatica et equestria in omnibus civitatibus et oppidis more veteri taxata et secundum antiquas quietantias contributionem, quae *schosch*^o dicitur, unam integram persolvent pro ratis supra expressis, unam medietatem pro festo Pentecosten incipiendo et illam ad dominicam post octavas Corporis Christi terminando. Reliquam vero medietatem eiusdem contributionis ad festum sancti Bartholomei incipiendo et solutionem eius ad festum Nativitatis Gloriosissimi Virginis Mariae terminando.

[12]. Minerariae officinae alias ferrum facientes, et hereditariae serrae ex singulis rotis per fertonem, annuales vero officinae minerariae et similiter annuales serrae, hoc est locatae seu conductitiae, a qualibet rota sex grossos hoc anno pro ratis supradictis, medietatem videlicet pro prima et aliam medietatem pro secunda ratis, sub poena dupli persolvent.

[13]. Item sacerdotes Rutheni, qui popones dicuntur, ex singulis ecclesiis et synagogis unum florenum grossorum. Protopopones vero alias *namiesniczy*^p per unam sexagenam in moneta et similiter popones Armeni, pro integro anno, sub poena dupli solvent.

[14]. Item Valachi ex singulis laneis integris, si illos habent, vel arcis quae *dworziszca* dicuntur, duodecim grossos solvent secundum antiquas quietantias. Et qui agros non habent, a singulo centenariio ovium similiter duodecim grossos solvent, sex grossos pro prima et reliquos sex pro secunda ratis superius expressis, sub poena dupli ad quamlibet ratam.

[15]. Ut autem supradicta ordinatio in exigendis contributionibus facta debita executioni demandetur in palatinatu Posnaniensi^q et districtibus eius exactorem infrascriptum videlicet generosum

^rLaurencium Pogorzelsky^r de consilio universi senatus et nuntiorum terrestrium designavimus et constitutimus hisce litteris nostris.

[16]. Quia vero nonnullae civitates et oppida, tam nostra regia quam subditorum nostrorum spiritualium et saecularium, eam sibi vitandae iuste contributionis *czopowe* excogitaverunt viam, ut nobis impetrarent, quo sibi liceret certa summa pecuniae, eandem contributionem integri anni redimere. Propterea nos reipublicae commodare volentes et postulationi nuntiorum terrestrium annuentes statuimus, ut eam ipsam contributionem *czopowe* non secundum impetrationes suas et concessionem nostram, sed integre quemadmodum ex dictis civitatibus et oppidis provenire solet, hoc anno ad necessitatem reipublicae exsolvant.

[17]. Quare vobis omnibus et singulis suprascriptis mandamus, ut pro temporibus seu ratis superius expressis in manus praefati exactoris nostri easdem contributiones, secundum quod ad unum quemquam pertinet, modo praemisso exsolvere curetis. Vos vero exactores diligenter et fideliter illas colligatis et pro ratis superius designatis colligere non negligatis. Eos vero qui in solvendo negligentes fuerint locorum capitaneis deferatis. Vobis etiam capitaneis quorum interest mandamus ut easdem contributiones superius expressas in locis civitatibus et oppidis capitaneatus vestri proclamari et publicari faciatis et ad manus praefati exactoris pro ratis superius expressis, sub poenis ad hoc constitutis, exsolvi ad necessitatem reipublicae nostro nomine mandetis, absque cuiusvis morae et dilationis interventu. Negligentes autem in solvendo et contumaces per pignorationes et alias poenas solitas ad solvendum easdem contributiones cogatis et compellatis sub poena centum marcarum pecuniae, quam capitanei negligentes exactionem et pignorationes exsolvere in conventu generali proxime celebrando tenebuntur et quisque eorum tenebitur postquam delatus et convictus fuerit. Si vero contingerit, quod exactor aliquam villam iniuste, quasi contributionem non exsolvisset, detulerit et capitaneus ad pignorationem mittendo quietationem apud eosdem colonos invenerit, extunc talis exactor poenam quattuordecim marcarum propterea succumbet. Quae capitaneo, quem frustra fatigavit, cedere debet. Pro qua poena exactor citatus coram nobis vel iudicio terrestri respondere et satisfacere tenebitur.

^m suprascriptas MK2. ⁿ Brak w MK2. ^o schos MK2. ^p namiesniczy MK2. ^q W Dr. wpisane ręcznie w okienku; w MK2 pozostawiono okienko. ^r W Dr. wpisane ręcznie w okienku; w MK2 pozostawiono okienko.

[18]. Ne autem aliquis error^s in quietationibus exhibendis committatur statuimus, quod exactores in quietationibus diem, mensem et annum, qua contributionem accepit, diligenter annotent et in registra sua diligenter referant. Similiter etiam diem, qua negligentes et non solventes illas capitaneo detulit, in regestrumque diligenter annotet, ne aliquis error et implicatio rerum accidere possit. Quietationes vero aliquas non debent exactores discerpere sive lacerare vel ipsas ad se recipere, sed eas rursus iis qui eas adtulerunt restituere. Pro officio suo et gratia nostra aliter non facturi.

Datum Vilnae feria ^tquarta in vigilia Ascensionis Christi^t anno^u millesimo quingentesimo quadragésimo secundo [17 V 1542], regni^v nostri anno trigesimo sexto. Ad mandatum Sacrae Regiae Maiestatis proprium^w.

III. ^aLITTERAE UNIVERSALES DUCILLORUM^a

Sigismundus etc. Universis et singulis ecclesiasticis et saecularibus regni nostri senatoribus et consiliariis ceterisque subditis nostris quibuscumque, tam terrestribus quam civitatum et oppidorum honoribus et officiis insignitis ad quorum notitiam hae nostrae pervenerint litterae et praesertim in palatinatu^b et districtibus eius consistentibus, sincere nobis et fidelibus dilectis, gratiam nostram regiam. Reverendissimi et reverendi in Christo patres, magnifici, generosi et nobiles, famati et providi, sincere nobis et fideles dilecti.

[1]. Noveritis communi omnium consensu, tam spiritualium quam saecularium consiliariorum nostrorum et nuntiorum terrestrium, in conventu generali Piotrcoviensi congregatorum, voto et concordii voluntate exactionem ducillorum, quae *czopove* dicitur, multis et arduis necessitatibus reipublicae ita exigentes, decretam esse, quae inchoari debet a festo Pentecosten proximo [28 V 1542] et continuari per integrum annum ad aliud festum Pentecosten anni millesimi quingentesimi quadragésimi tertii [13 V 1543]. Exigetur autem et exigi ac exsolvi debet eadem ipsa contributio ducillorum secundum antiquam consuetudinem modo videlicet infrascripto, ut quilibet cerevisiam coquens venalem ex quibuscumque braseis fuerit, eadem ipsa cerevisia, hoc est sive ipsa brasea sunt civium et dominorum, sive ex molendinis provenientia et emensurata, sive domi facta, a quolibet vase singillatim vel coctura ipsius cerevisiae, iuxta locorum consuetudinem ante hac observatam, exactionem ipsam ducillorum in manus infrascripti exactoris fideliter solvat.

[2]. Ita, ut a maiori coctura alias *waru* plures grossi solvantur, et a minori pauciores iuxta vasorum numerum et quantitatem et exactoris constitutionem quam, ubi opus est, et quotiens expediens erit, nostra auctoritate faciet et constituet. Notariosque et custodes, tam in civitatibus et oppidis, quam etiam in villis, iuxta arbitrium suum exactor etiam ipse deputabit et iuramento corporali ad fidelitatem illos astringet.

[3]. Ternarii vero vetusto more circa quemlibet grossum solvendi pro civitatum et oppidorum reparatione conserventur.

[4]. Tabernatores vero singuli cerevisiam coquentes a quolibet vase mensurae civilis per unum grossum, alias iuxta antiquam consuetudinem. Coctam vero a dominis, tam spiritualibus quam saecularibus, ad propinandum recipientes non secus, quam si advectivam propinarent, ratione ipsius contributionis per sex grossos solvent.

[5]. Item a medio vase vini alias *pulkufek* florenus unus cum quadrantibus triginta solvendus. Item a dreilink sive Seremiensi vase vini duo floreni cum sexaginta quadrantibus. Item a quolibet

^s *W Dr. poprawiono ręcznie, w miejsce wyrazu skreślonego.* ^t *W Dr. wpisane ręcznie w okienku.* ^u anno eiusdem MK2.

^v regni vero MK2. ^w *W Dr. na verso ostatniej karty występuje ślad pieczęci królewskiej.*

^{a-a} *MRPS, cz. IV, vol. 3, nr 20800, s. 178 tytuł brzmi:* Litterae universales super exactione ducillorum in conventu Piotrcoviensi laudata. ^b *Następuje okienko.*